# DE GENETIVI GRAECI MAXIME HOMERICI USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

DIE XVII M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXIII
HORA X

PUBLICE DEFENDET

**IOANNES AUGUSTUS HEILMANN**
HOHENZELLANUS.

**MARBURGI-CATTORUM.**
TYPIS IOANNIS AUGUSTI KOCHII.
MDCCCLXXIII.

GEORGIO CURTIUS
PHILOS. DR., PHILOL. IN ACADEMIA
LIPSIENSI P. P. O.

ET

LEOPOLDO SCHMIDT
PHILOS. DR., PHILOL. IN ACADEMIA
MARBURGENSI P. P. O.

PRAECEPTORIBUS SUMME REVERENDIS

HANC DISSERTATIONEM

PIETATIS TESTIMONIUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

In casuum ratione ac cognitione viri grammatici et antiquiores et recentiores multum versati sunt. Sed ut in aliis quaestionibus multa, quae antea crassis occultata circumfusaque tenebris jacuerunt, jam linguarum indogermanicarum comparatione, quam nostris temporibus viri docti instituerunt, illustrata atque explanata sunt, ita etiam casuum usui perquirendo grammatica comparativa, quae vocatur, multum lucis est allatum. Antiquorum enim ratio grammaticorum, qui, cum ex sola lingua graeca et latina conformationem ac structuram harum linguarum percipere atque intelligere temptarent, non magis casuales, quam alias quaestiones persolvere poterant, recentiorum studiis correcta et quibusdam in partibus commutata est.

Atque scripturo mihi de genetivi graeci usu, si huic toti quaestioni satisfacere vellem, antequam ad eam tractationem, quam recentiores grammatici in casuum imprimis genetivi usu cognoscendo persecuti sunt, transirem, istorum grammaticorum, qui vulgo localistae vocantur, de casibus maximeque de genetivo doctrina accuratius examinanda ac refutanda esset, quam secuti notione genetivi id exprimi dixerunt, a quo aliquid proficisceretur. Sed eam persequi cum his arctis finibus non liceat et ab iis, quae nobis proposuimus, longius nos trahat, missum id faciamus, praesertim cum satis notum sit, quam artificiosis ac perversis rationibus localistae utantur, ut summum bonum ab antiquis grammaticis susceptum, terminum dico *πόθεν*, religiose conservent. Quo in genere satis

est vanas illas disputationes spectasse, quas Wuellnerus*) et Hartungius**) de casuum ratione fecerunt.

Percontantibus igitur, quid sit genetivus graecus, non istorum grammaticorum ratio respicienda nobis est, sed linguarum cognatarum comparationem ad eam quaestionem persolvendam adhibeamus necesse est: quam viam plerique, qui genetivi usum recentiore aetate tractarunt, ingressi sunt atque id profecerunt, ut jam pro experto habeamus totum genetivorum graecorum ambitum non ex una significatione primaria intellegi posse (ut localistae voluerunt), sed complurum casuum partes genetivum graecum agere. Etenim cum ii, qui perierunt in lingua graeca, casus — sunt autem ablativus, instrumentalis, localis — formarum jacturam fecissent, significationes illis subjectae sermoni retinendae atque aliis casibus sermone servatis suscipiendae erant. Quaerendum igitur est, quorum casuum obliteratorum significationes genetivo contineri statuendum sit.

Atque ut omnium quaestionum, quas viri grammatici de genetivo graeco nuper instituerunt, summam referamus, genetivus graecus accipiendus est non solum ut purus genetivus indogermanicae illius linguae, quae cogitatione fingenda cujusque imago nobis concipienda est, sed etiam pristini ablativi vice fungitur, et si quidem Delbrueckius vir doctissimus in libello bene composito, qui inscribitur: ‚Ablativ Localis Instrumentalis im Altindischen Lateinischen Griechischen und Deutschen. Berlin 1867‘ recte judicavit, etiam localis et instrumentalis casus reliquias quadam ex parte recepit. In magnam quidem controversiam recentiore aetate adducta est casuum maximeque genetivi graeci natura ac vis. Elaborarunt enim in genetivi graeci ratione et usu perquirendo nostra memoria Rumpelius magna ut solet diligentia libro, qui est: ‚Die Casuslehre in besonderer Beziehung auf die griechische Sprache. Hall. 1845‘ p. 190—258, Curtius explicationibus ad

---

*) Die Bedeutung der sprachlichen Casus und Modi. München 1827.

**) Ueber die Casus, ihre Bildung und Bedeutung. Erlangen 1831.

grammaticam suam compositis p. 163 sq., Carolus Weidenkaff dissertatione, quam scripsit ‚de usu genetivi apud Homerum Part. I. Hal. Sax. 1856', qui auctor a localistarum partibus stat, Julius Ebinger: ‚de genetivi apud graecos poëtas antiquissimos usu. Regimonti 1862.' Sed nunc demum certius et accuratius in genetivi naturam et usum inquiri potest, postquam Sanscriti genetivi usum amplexus est Ernestus Siecke dissertatione, quae inscribitur ‚De genetivi in lingua Sanscrita imprimis Vedica usu. Berol. 1869' et Delbrueckius libello, quem supra laudavi, his studiis operam impendit: cujus utriusque viri docti libris in componenda hac dissertatione multum me debere confiteor.

Antequam autem ad constituenda ac describenda genetivi genera, quae a viris doctis proposita sunt, accedamus, utile mihi videtur, viam ac rationem statuere, quam in usu genetivi graeci describendo secuturi sumus. Disponamus igitur dissertationem ita, ut

primum de genetivi puri natura ac vi quae nobis esse videatur disputemus,

deinde de iis genetivis, qui ablativi munera susceperunt, breviter dicamus,

denique de genetivis instrumentalis et localis casus ratione positis, quos Delbrueckius primus statuit, quid judicemus, proferamus.

## Caput I.

# De genetivi propria natura ac vi.

Priusquam ad genetivi primariam significationem perquirendam accedamus, haud abs re erit, in universum pauca praefari, quae ad ipsam casuum doctrinam pertineant.

Qua in re tractanda viri grammatici in duas partes discedunt, quarum altera eam doctrinam sequitur, ut ad locales relationes referendos esse omnes casus contendat, altera eam rationem init, ut linguarum indogermanicarum comparatione adhibita, quae cuique casui insit vis, pervestigare ac percipere tentet. Quibus de rationibus cum magna contentio exorta gravibusque armis gesta esset; quamquam eorum, qui localistae vocantur, doctrina prorsus rejecta est, tamen ii, qui illi rationi adversati sunt, in eo certamine ultra progressi esse mihi videntur. Principium enim ac fundamentum quasi, quo posito localistae totam suam doctrinam casuum exstruxerunt, recte ab his cognitum illos, qui ab altera parte starent, ut fieri solet, praepropere respuisse censeo. Est autem id, ut dicant, cum omnes observationes a sensibus exoriantur, etiam linguae formis relationes expressas esse, quae sensibus perciperentur, ideoque casuum quoque significationes sensibus subjectas fuisse. Attamen hac sumptione concessa ac probata minime ad eam significationum distributionem accedere possum, quam localistae singulis casibus tribuerunt, ita ut genetivus quaestioni ‚unde‘, dativus quaestioni ‚ubi‘, accusativus quaestioni ‚quo‘ responderet: quae ratio quam perversa ac falsa esset, tam luculenter a viris

doctis demonstratum est,*) ut hoc loco de istorum ratione disputare mihi liceat supersedere. Id tantum retinendum puto, quod localistas recte intellexisse persuasum habeo primitus locales relationes casibus infuisse. Quo jure id contenderim, sequenti disputatione apparebit.

Duae autem sunt rationes, quibus sententia mea comprobari potest. Altera enim, qua ut sententiam suam coarguerent localistae quoque usi sunt, est ea, ut argumentis e philosophia sumtis primas linguae conformationes ad relationes loci revocandas esse ostendamus, altera, ut grammaticorum studio adhibito inquiramus, quales notiones ipsis linguae formis subjaceant. Illa quidem difficillima sane est quaestio, quae, quamquam multum in utramque partem disputatum est, certo solvi non potest. Sed qui huic localistarum argumentationi adversantur, id tantum responderunt, quamquam necessaria non esset ratio, qua notiones sensibus subjectas casibus infuisse acciperetur, tamen potuisse id fieri (cf. Curtii orat. ad philol. Misniam congressos habit. p. 48). Qua in concessione hoc loco acquiescamus, praesertim cum talibus disputationibus de primis linguae principiis institutis exitus imponi non possit. Respiciamus potius alteram rationem, qua ipsae linguae formae spectantur: quae quidem ratio multum affert ad comprobandam eam sententiam cum vocibus tum casibus aliisque formis notiones inesse, quae sensibus percipiantur.

Inter omnes constat eos, qui vocum significationes rationesque perquirunt ac constituunt, primariam vocum vim eam ducere, quae sensibus subjecta sit, et ab hac profectos ad earum significationum seriem procedere, quibus posteriore aetate voces indutae sint. Profecto nativo quasi ac divino ingenio inducti homines sermone usi sunt et voces formasque sermonis excoluerunt, neque consilio ac ratione significationibus, quae sensibus subjectae sunt, voces induerunt, sed quum seriem significationum, quas vox aliqua procedente tempore assumsit,

*) cf. ‚Verhandlungen der Meisner Philologenversammlung 1863' p. 45–61. — Rumpel progr. gymn. Guetersloh 1866, p. 4 sq.

perlustramus, ab iis, quae sensibus perciperentur, homines rudes profectos esse, quis est, qui negare possit.*) Quid? quod non solum significationibus vocum, sed etiam formis et in declinatione et in conjugatione quae vocantur occurrentibus localem quandam notionem inhaerescere cognosci potest. Notum enim est praepositiones locale quoddam continere. Adde quod ad pronominum quoque conformationem suffixa, quae localem notionem ‚hic' vel ‚illic' haberent, valuisse jam Pottius animadvertit, neque minus in personis verbi, quas quidem nil aliud nisi pronomina esse constat, hoc suspicere licere per se patet. Atque etiam tempora et modos, quae vocantur, verbi auxiliaribus quibusdam verbis, quibus notio sensibus percipienda inesset, adhibitis conformata esse viri grammatici cognoverunt. Et quamquam in iis, quae de verborum formatione institutae sunt, quaestionibus permulta nondum cognita explorataque sunt, tamen de nonnullorum temporum et modorum origine ac primaria formatione omnes paene dubitationes viri docti removerunt. Quo in genere in vulgus notum est temporis futuri, quod vocatur, formationem ita factam esse, ut verbum eundi, cujus radix in lingua sanscrita ‚ya' esset, cum verbo flectendo componeretur ac coalesceret, velut, ut exemplum afferam, a radice sanscrita *‚as'* (graece ἐς) formatur tempus futurum: * *as-yâ-mi* = lat. es-io, ero (quacum formatione conferas francogallicum illud: ‚je vais faire', latinum ‚datum iri' = ‚datum ire' = ‚datum esse'). Eandem radicem ‚ya' alia ratione in aliis quoque temporibus adhibitam reperimus, ut in nonnullis temporibus praes., quae compositione ejus radicis formantur (sscr. *‚kup-yâ-mi* = lat. cup-io ich gerate in Wallung', aliis) fortasse etiam in aoristo passivi, quem vocant, si quidem G. Curtius, vir clarissimus, recte judicavit (cf. ‚Tempora und Modi' p. 329 sq. Erlaeut. p. 115 sq.) eam radicem suspicari

---

*) Quin etiam ea, quae maxime ad animum et cogitationem spectat. notio ‚animae' ad notionem sensibus subjectam reducenda est, quippe cum anima apud antiquissimos homines nihil aliud sit, nisi spiritus, qui efflatur.

licet. Ad eandem originem revocandam esse syllabam illam *ιε* vel *ιη*, quae optativi propria sit, fere omnes viri docti consentiunt. Similem autem notionem, atque in nominum flexione etiam in augmento, quod dicitur, inesse ostenderunt Schleicher (‚compend‘ 749) et Curtius (Erlaeut. p. 96), cum docerent augmentum demonstrativi cujusdam pronominis stirpem esse, quae significatione ‚tum‘ praedita tempus praeteritum monstraret. Quid? quod Curtius ipse (‚Tempora und Modi‘ p. 127) de reduplicatione, quae vocatur, ita judicavit: ‚Diese ist gewiss eins der sinnlichsten Elemente der Sprache, dem wir in der ältesten sinnlichsten Periode der Entwickelung am häufigsten und in der vollständigsten Weise zu begegnen vermuten dürfen.‘

In omnibus igitur, quas adhuc protulimus, et nomina et verba flectendi formis notionem inesse vidimus, quae sensibus subjecta esset. Quae cum ita sint, non procul abest suscipio etiam in declinatione nominum terminationes ad locales relationes esse referendas, neque ullo jure grammatici recentiores mihi videntur eam doctrinam prorsus rejecisse ac respuisse, qua a relationibus loci casuum rationem cognoscere tentatum est. Id enim, quod localistarum et recentiorum grammaticorum doctrinae commune habent, in acerrimo certamine contra localem doctrinam gesto, quam localistas perperam persecutos esse apparet, grammatici omisisse mihi videntur. Nam locales relationes ad casuum formationem quodam modo valuisse etiam comparatione linguarum comprobatur, qua exploratum est omnia suffixa, quibus casus formarentur locale quoddam denotare. Illud ‚*sa*‘ enim, quod est nominativi terminatio, significat ‚hic‘, — ‚*am*‘, quod est accusativi suffixum, objectum remotum monstrans indicat ‚illic‘ i. e. id, ad quod actio verbo expressa pertinet, — ‚*at*‘ suffixum ablativi indicat, a quo initio actio verbi proficiscatur, — ‚*i*‘ suffixum localis casus denotat ‚ubi‘, et in instrumentali quoque casu, cum primaria ejus vis sociativa vel comitativa esset, localem notionem inesse, jam Ludov.

Lange iis verbis, quae contra G. Curtium in congressu philologorum Misniensi fecit, luculenter demonstravit*).

His igitur casibus vel iis ipsis grammaticis, qui linguas cognatas comparantes exitus casuum quid essent perquisiverunt, localis significatio concedenda est. Quaeritur igitur, num etiam genetivi principali usui loci relatio attribuenda sit. Sed liceat mihi pauca praefari.

Omnium genetivo excepto casuum natura ac vis ea erat, ut cum verbis conjungerentur eaque conjunctione varias relationes, quae unicuique propriae erant, exprimere possent. Quodsi lingua sibi constitisset et eas formas, quas substantiva cum verbis conjungendi causa finxit, constanter convenienterque excolere ac profundere perrexisset, etiam ad nomina cum nominibus conjungenda, ut omnes relationes, quae in verbis cum nominibus conjunctis inerant, exprimere posset, totidem formas, procrearet necesse esset, quot casus ad verba cum nominibus conjungenda effecit. Sed ad tantam copiam fecunditatemque formarum lingua non pervenit et omnes relationes, quas sub verborum cum ceteris casibus conjunctionem subjecerat, duobus nominibus conjunctis unius casus, genetivi, forma expressit.

Haec autem disputantes silentio jam posuimus ipsum verum genetivi usum inveniri in conjunctione duorum nominum vel ut breviter dicam in a d n o m i n a l i genetivi usu. Jure autem ac merito id nos posuisse non solum optimos viros grammaticos assentientes nobis habemus, qui primitus genetivum in adnominali tantum usu fuisse coarguerunt**), sed etiam exitus, quos genetivus in lingua sanscrita habet, id nobis testari videntur. Terminationes enim, quibus genetivus sanscritice formatur, sunt ‚*as*' et ‚*asya*', quarum altera terminatione cum ad ‚*a-sa*' reducenda sit, ‚*sa*' illud nominativi continetur, ex quo casu verbum aliquod ratione casuum

*) ea quae Lange Curtio opposuit, emendate typis descripta actis congressus philologorum adjecta invenies, ubi vid. p. 5. Praeterea vid. Boppii dissert. de pron. demonstr. casuumque origine conscriptam (actis Acad. Boruss. a. 1826 insertam) p. 77.

**) cf. Rumpel ‚Casuslehre' p. 191.

obliquorum dependere non potest, altera *‚asya'* plane ad naturam adjectivi accedit, quod et ipsum obliquorum casuum ratione conjunctionem cum verbis inire non potest.

Quodsi iis, quae hactenus disseruimus, constat principalem genetivi usum fuisse adnominalem, ut aiunt, sequens disceptatio ita erit instituenda, ut significatio quaenam initio subfuerit tali compositioni duorum nominum excutiatur. Antequam autem nostram de genetivi primaria natura ac vi sententiam proferamus, antea de iis rationibus dijudicandum erit, quas Curtius aliique viri grammatici recentiores ut genetivi naturam explanarent, inierunt.*)

Atque hodie genetivi vis plerumque ita constitui solet, ut genetivo arctam duorum nominum compositionem ac cohaerentiam indicari dicatur (cf. Curtii explicatt. ad grammat. suam compos. p. 173). Sed in hac definitione forma tantum respecta est, cum nihil aliud exprimeretur, nisi duo nomina arcte inter se composita esse, significatio autem quaenam hac conjunctione notata esset, hoc non expressum esse mihi videtur.**)

Si vero notionem ‚cohaerentiae' ita accipere velis, ut significatione duo nomina inter se cohaerere ea notione exprimatur, ita ut alterum nomen comprehendatur altero vel accurate definiatur, eodem jure etiam accusativum nominare possis casum, qui cohaerentiam indicet, cum nominis alicujus cum verbo transitivo compositio ea sit, ut verbum transitivum, cum per se existens sententiam nondum absolutam neque plenam

*) Omnes, quas unquam viri grammatici instituerunt, definitiones genetivi (ut genetivum possessorem alicujus rei aut relationem aut supplementum aut partem aut causam alterius nominis indicare, de quibus Rumpelius l. l. p. 99 sq per'ene judicavit) persequi liceat mihi supersedere, cum nullam earum naturae genetivi explicandae satisfacere cognitum sit. — De Rumpelii definitione infra videbimus.

**) Vilmar ‚de genetivi casus syntaxi, quam praebeat Harmonia Evangeliorum . .' p. 8 de hac definitione genetivi, ut postea vidi, idem judicavit, cum diceret: ‚Inanis profecto defin tio, quum in syntaxi quaerendum sit potius, q u a e et q u a l i s sit ista conjunctio, unde orta, unde profecta.'

edat, nomen aliquod desideret, quod id, quod verbum transitivum eloquitur, expleatur et finibus constituatur. Quamquam concedendum sane est, si quidem posteriorem genetivi usum amplificatum et latius patentem respicimus, in universum genetivo arctam duorum nominum conjunctionem exprimi, cui tam multiplices variaeque significationes, quas posteriore aetate genctivo inesse videmus, impositae sunt, tamen consentaneum est eas varias significationes non ab initio et una simulque genetivi notioni attribui potuisse. Initio enim et uno tempore ingenium atque indolem populi novae formae, simulatque procreata esset, tam multiplices significationes attribuisse minime verisimile est, sed ab uno primario usu profectum sermonem procedente tempore genetivi fines protulisse probabile videtur. Fortasse aliquis dicat, ut Rumpelius dixit, quum tale quid aliquis proferat, eum non intellegere, quae sint ipsae mentis agitationes hominum. Rumpelius enim l. l. p. 197 adnotat haec: ‚Zugleich wollen wir hier einem Einwurf begegnen, den man oft Grammatikern gemacht hat, wenn sie für irgend eine sprachliche Erscheinung einen zu schweren Begriff, wie man sagt, supponiren. Man argumentirt so: wie hätten die einfachen uncultivirten Naturvölker, denen wir doch die erste Ausbildung und Pflege der Sprache verdanken, so schwierige und verwickelte Denkgesetze auffassen und in ihren Sprachen darstellen sollen. Die ursprünglichen Bedeutungen der Sprachgesetze müssen sehr leicht fasslich, jedenfalls sinnlicher Natur gewesen sein, denn von sinnlichen Anschauungen ging man erst später zu logischen Auffassungen über. Solche Einwürfe . . . . . zeigen, dass der, welcher sie macht, auch nicht von ferne versteht, was man unmittelbare Lebenstätigkeiten nennt, nicht versteht, dass das begriffliche Verständniss derselben etwas ganz anderes ist, als ihr wirkliches Ausüben, dass dieses nie und nimmer von der Reflexion und verständigen Ueberlegung ausgegangen, sondern dass darin die unmittelbare Tat und Betätigung des Geistes anzuerkennen ist‘ cet. Profecto in sermone et nascente et crescente certas considerationes et rationes homines secutos esse nos

quoque negamus. Sed consentaneum est eas mentis agitationes hominum priscae aetatis naturae ac conditioni eorum accommodatas fuisse et in his quoque rebus quidquid oriretur non repente ad absolutam perfectionem pervenisse. Nam exempli gratia cum in artibus excolendis ingenium exercerent homines, non a perfectis formis vel certis legibus initium ceperunt, sed a primis lineamentis ac rudimentis artium, et cum psychologiam, ut verbo uterer, respicimus, non statim ad notionem animae homines mentis suae agitatione pervenerunt. Quid? cum sermonem excolerent, optativo, ut exemplum afferam, ea subtilia discrimina, quae postera aetate huic modo inesse videmus, mente sua ab initio imponere non potuerunt, sed a notione eundi, quae est sensibus subjecta, profecti optativum usitarunt. Quibus verbis factis elucet ingenium populi non primitus tam varias significationes conjunctioni duorum nominum attribuere potuisse, sed a principali quadam genetivi vi profectum procedente tempore varias significationes genetivo imposuisse sermonem.

Significatio igitur primaria, quae genetivi sit propria, illa definitione Curtii aliorumque virorum grammaticorum non expressa neque patefacta est. Quae cum ita sint, ad aliam rationem genetivi naturam intellegendi adducti jam quae nobis vera ac genuina genetivi potestas esse videatur, exponamus.

Ac primum quidem excutiamus, quo tempore pro ceteris casibus genetivum in usum venisse verisimile sit. Quae quaestio quamquam certo solvi non potest, tamen res quaedam exstant, quibus ad eam sententiam adducimur genetivum in sermone hominum postremum omnium casuum (fortasse dativo excepto) in usum venisse.

Rectissime Rumpelius, cum eam quaestionem attingat, de ea re judicat, cum dicat necesse esse populum, qui ad genetivi usum processerit, ad gradum quendam cultus pervenisse ac doctrina quadam paululum imbutum esse: qua de causa infantium consuetudinem loquendi ac plebis sermonem quotidianum a genetivi stuctura, quam plurimum fieri póssit, abhorrere dicit, et quum dicere debeat: ‚der Garten des Vaters‘

hac locutione uti solere: ‚dem Vater sein Garten‘.*) Quod idem invenitur in aliis linguis, ut in arabica, in quae duae genetivi formationes exstant, quarum altera, quae est vetustior, dativo vel potius locali respondet, altera, quae est recentior, genetivo linguarum excultiorum respondet; imprimis autem invenitur, ut natura fert, in dialectis. Velut cum in Gascogniensium usu dicendi nobis occurrit: ‚la fille à Mr. N.‘ (pro dictione urbana: ‚la fille de Mr. N.‘), id nobis ostendit sermonem illorum esse inconditum ac rudem, et ut gentem illam eruditione, ita literis linguam carere, quae ad genetivi usum non pervenerit. Praeterea autem formatio quoque genetivi demonstrare videtur eum casum postremum ortum esse, cum terminationum genetivi altera a nominativi terminatione aliqua ex parte sumta (a-σα) altera ab adjectivi formatione depromta esset. Terminationes igitur genetivi secundariae sunt et ab aliis formationibus petitae, cum reliquorum casuum terminationes principale ac genuinum quoddam monstrent neque quidquam habeant, quod aliunde petitum sit.

Ut igitur ea, quae hactenus de genetivo disputavimus, repetamus, cognovimus rationes, quas adhuc viri docti de genetivi natura statuerunt, quamquam unaquaeque aliquid recti haberet, tamen omnibus ex partibus non sufficere et propriam genetivi vim non satis accurate constituere. Deinde ex omnibus casibus postremum genetivum in usum venisse probabiliter exposuisse nobis videmur. Quae cum ita sint, jam in primariam genetivi significationem inquirere aggrediamur. Ac primum quidem videamus, num vestigiis quibusdam, quae in vetustiore lingua servata sint, cognosci possit, quis casus, antequam genetivus usurpatus sit, ejus partes obtinuerit et quis casus significatione ac vi ad genetivi naturam tam prope accedat, ut ex ejus usu genetivi usus manare potuerit. Atque ut statim a primo sententiam meam profitear, localis casus cum genetivo tanta necessitudine conjunctus esse mihi videtur, ut genetivo primitus eam significationem insitam fuisse putem,

---

*) cf. Rumpel progr. Gymn. Guetersl. 1866, p. 21.

qua simile quoddam exprimeretur, atque localis casus significatione. Non autem sine causa me id opinari, ex iis, quae sequuntur elucebit. Argumenta igitur, quibus ad eam sententiam adducor, sunt haec:

Primum genetivum et localem casum cognatione quadam significationum contineri ea re mihi probatur, quod in duali numero ambo casus in unum coaluerunt et ea, quae his duobus casibus exprimenda sunt, una forma in sermone redduntur. Neque vero temere id evenisse mihi videtur; nam fortuito quidquam in sermone fieri omnino non statuendum est, sed ex certis quibusdam legibus, quamquam homines in dicendo earum non conscii sunt, sermonis usus est constitutus. Sed non solum dualis numeri forma hos casus significatione inter se conjunctos esse comprobatur, sed etiam in plurali numero genetivi et localis casus formas ad eandam originem revocandas esse verisimile est, ut jam Boppius, summus ille auctor grammaticae comparativae, suspicatus est.*) Genetivi enim pluralis terminatio est ,sâm', quae quidem in pronominum tantum flexione servata est, localis casus terminatio ,sa', quod ad eandem originem reducendum esse lingua Littaviensi demonstrari videtur, in qua localis casus terminatio ,sa' primariam vocalem ,a' monstrat.

Deinde sententia mea confirmatur nonnullis testimoniis grammaticorum Indorum.

Ac primum hoc in genere animadvertendum est, quod Pânini 2, 3, 39 docet, cum dicat nomina quaedam, quae notionem ,domini' vel ,heredis' habeant, et genetivum et localem casum sibi asciscere. Liceat mihi exempla, quae Delbrueckius l. c. p. 38 e Pân. decretis sumsit, afferre: ,gavâm îçvarah' et ,gosho îçvarah' i. e. ,dominus vaccarum'. In Vedicis quidem carminibus hujus usus localis casus exempla non jam servata sunt, sed eo, quod Pân. docet, ostenditur in sermone vulgari localem casum pro genetivo usurpatum fuisse et homines, cum

*) in dissertatione de demonstrativo casuumque origine (in actis Academiae Boruss. a. 1826) conscripta (p. 102).

genetivum adhiberent, localis casus significationem in genetivo etiamtum sensisse. Quid? quod Sieckio (l. c. p. 14) auctore scholiastae genetivum quem vocant partitivum plerumque circumscribunt voce ,madhye' i. e. ,in medio', ut schol. Rigv. 7, 103, 6: ,éka eshâm' ,una earum' (scil. ranarum) interpretatur vocibus ,mandûkânâm madhye' i. e. ,in medio ranarum'.

Decretum Pân. II, 3, 41, quod est:

,yataçca nirdhâranam (scil. tasmât) shashthîsaptamyau bhavatah) i. e. ubi sejunctio vel separatio partis cujusdam ab integro rei corpore vel significatio rei unius inter plures denotatur, ibi aut sextus aut septimus casus ponitur' scholiastae exemplis illustrant his: ,manushyâ-nâm vel manushyeshu kshatriyah çûratamah' i. e. hominum vel inter homines kshatriyus fortissimus (est), ,gavâm vel goshu krshnâ bahukshîrâ i. e. vaccarum vel inter vaccas nigra plurimo lacte abundat, ,châtrânâm vel châtreshu maitrah patuh i. e. prae ceteris discipulis Maitra est strenuus (cf. Siecke l. c. p. 14).

Quibus exemplis vel maxime perspici potest in loquendi consuetudine localem genetivi notionem homines sensisse.

Tum etiam nostri grammatici pro mea causa dixisse mihi videntur, cum nonnullorum genetivorum (ut adverbiorum loci, quae in-ον desinunt, genetivorum qui exstant I, 219, **P** 372, μ, 27, aliorum, quos infra tactabo) vim ita definirent, ut dicerent genetivo spatium indicari, in cujus finibus aliquid versaretur (ut nos dicimus: ,genetiv des Bereichs'). Nimirum cum eam definitionem grammatici tenent — et re vera tenenda est —, ipsi jam imprudentes genetivi significationem localis casus naturam aequare concedunt et comprobant. Etenim cum genetivo regionem exprimi dicant, intra quam quid versetur, eam ipsam notionem, quae in locali casu inest,*) ad genetivum transferunt. Itaque hac quoque ratione vel maxima fides praebetur ei, quod dixi: genetivo primitus similem sensum contineri ac locali casu.

*) cf. Delbr. p. 28.

Denique nonnullis exemplis iisque vetustissimis ad eam sententiam adducor localis casus notionem genetivo infuisse. In Sanscrita enim lingua, et in vetustissima Vedica, jam exstant genetivi localis casus notione praediti, quales sunt: ‚aktós', ‚kshapás' (noctu), ‚vástos, áhnas' (die), ‚ushásas' (mane). Etiam in Graeca lingua tales genetivi occurrunt, quorum exempla Homerica sunt haec:

*E*, 523: *νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅστε Κρονίων*
*ν η ν ε μ ί η ς ἔστησεν ἐπ' ἀκροπύλοισιν ὄρεσσιν.*

*Θ*, 525: *τὸν δ' ἠ ο ῦ ς Τρώεσσι μεθ' ἱπποδάμοις ἀγορεύσω.*

*Λ*, 690: *ἐλθὼν γάρ ῥ' ἐκάκωσε βίη Ἡρακληείη τ ῶ ν π ρ ο-*
*τ έ ρ ω ν ἐ τ έ ω ν.*

*X*, 27: (*ἀστέρα*) *ὅς ῥά τ' ὀ π ώ ρ η ς εἶσιν.*

Huc referenda esse puto etiam adverbium *πάρος* = sscr. ‚puras' et adverbia *ἕως* — *τέως.**)

Iis genetivis temporali notione praeditis respondent ii, qui localem notionem habent. Ante omnia huc pertinent adverbia loci, quae in — *ου* desinunt, ut *οὗ*, *ὅπου*, *αὐτοῦ*, *τηλοῦ*, *ὑψηλοῦ*, deinde exempla haec I, 219. *Ω*, 598, *ψ*, 90, in quibus exstat locutio: *ἕζετο* vel *ἷζε τοίχου τοῦ ἑτέρου.*

*P*, 372: *νέφος οὐ φαίνετο πάσης γαίης οὐδ' ὀρέων*

*γ*, 251: *ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιικοῦ.*

*μ*, 27: *ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς ἀλγήσετε πῆμα παθόντες.*

---

*) Curtius (mus. Rhen. 1846, p. 247) *ἕως* et *τέως* cum sanscr. vocibus *‚yâvat'*, — *‚tâvat'* contulit et primarias formas *ἥος* — *τῆος* fuisse contendit Quae comparatio si recte se haberet, cum *‚yâvat'* — *‚tâvat'* accusativi essent etiam *ἕως* — *τέως* accusativos acciperemus necesse esset. Sed sunt nonnullae causae, quibus fides hujus explicationis imminuatur. Voces enim in — *ως* exeuntes num pro accusativis habendae sint, maximopere dubitandum est, cum ut ablativos potius eas accipere malueris (cf. *ὥς*, *ταχέως* al.). Deinde autem perspicuum est *τέως* adverbium a pronomine *τίς* (dat. *τέῳ*, gen. plur. *τέων*) non abhorrere. Demonstrativa enim significatione adv. *τέως* non tantopere praeditum est, quantopere alia a litera *τ* incipientia pronomina sed etiam indefinite usurpatur (cf. *T*, 189, *ἕως*: *P*, 727). Quae cum ita sint, *ἕως* genetivum esse puto, qui formatus sit a stirpe yi (cf. ka, ki — ya, yi) et a nominativo *yís*. Eadem ratione *τέως* formatum est.

*φ*, 108 = *ξ*, 97. 98: *οἵη νῦν οὐκ ἔστι γυνὴ κατ' Ἀχαιΐδα γαῖαν, οὔτε Πύλου ἱερῆς οὔτ' Ἄργεος οὔτε Μυκήνης.*

Alia exempla sunt haec:

Arist. Eccl. 741, Theocr. 11, 40. 24, 38: *ἀωρὶ νυκτῶν, νυκτὸς ἀωρί.* Arist. Nub. 138: *τηλοῦ γὰρ οἰκῶ τῶν ἀγρῶν* i. e. ‚fern im Lande, vel tief in das Land hinein'. Arist. Eq. 250: *πολλάκις τῆς ἡμέρας* (cf. Xen. Hell. II, 1, 23: *ὀψὲ τῆς ἡμέρας*, Luc. Dem. enc. 14: *ὀψὲ τῆς ἡλικίας*, Plato Crat. p. 433, A: *ὀψὲ ὁδοῦ*) Arist. Nub. 723: *φρουρᾶς ᾄδων.* Eurip. Iphig. Taur. 1235 (ed. Herm.) etiam *ὕπνου.*

Quo modo eorum, quae protuli, exemplorum genetivi aliter satis explanari possint, atque ea ratione, ut genetivus localem notionem habere dicatur, non video. Illos quidem genetivos, quos primo loco attuli (aktós cet.) et graecos genetivos *ἡμέρας, νυκτός* al. grammatici ita interpretari voluerunt, ut substantivum aliquod, e quo genetivus penderet, cogitatione addendum esse dicerent: quam rationem etiam Siecke l. l. p. 65 proposuit, quamquam de ea quoque ratione cogitavit, qua genetivus ita explanatur, ut sensus localis, qui olim in hoc casu infuisse putandus sit (cf. Siecke p. 8), etiamtum servatus sit: qua interpretatione retenta Siecke a mea parte stat. Quod autem illam genetivorum interpretationem attinet, qua antiquissimis temporibus — in Vedicis enim carminibus tales genetivi jam exstant — ellipsin, quae dicitur, accipiendam esse statuitur, dubito num fieri liceat,*) probabilis saltem ea

---

*) Ellipsin apud Homerum exstare concedo, ea tamen condicione, ut ea notio substantiva, quae nonnullis locis posita est, aliis mente addenda sit. Velut cum et *ἐν Ἀιδου* et *ἐν δόμοις Ἀιδου* nobis occurrit, quamquam *ἐν Ἀιδου* ellipsin esse statuendum est, tamen ea re, quod utraque dictio *ἐν Ἀιδου* et *ἐν δόμοις Ἀιδου*, eaque saepius, apud Homerum usurpatur, ellipsin in Homericum demum sermonem esse inductam perspici potest. Ellipsin igitur apud Homerum demum oriri puto et, si quo loco ellipsis exstaret, aliis locis notionem, quae requireretur, appositam esse. Sed afferat fortasse quispiam tritam illam dictionem *εἰ δ' ἄγε*, in qua grammatici *βούλει* supplere soleant. Sed qui id dicunt, originem ac naturam particulae *εἰ* non perspexerunt. Recte enim Lange vir doct. par

explanatio minime esse mihi videtur. Praeterea autem quo modo ceteros genetivos, ut *νηνεμίης*, *τῶν προτέρων ἐτέων*, *ἀωρὶ νυκτῶν* alios, in quibus exemplis aptum substantivum, e quo genetivus pendeat, reperire perdifficile est vel non licet, imprimis autem quo modo illos genetivos, qui in adverbiis loci exstant, genetivos *τοίχου*, *ἁλός*, *πάσης γαίης*, qui in exemplis illis Homericis inveniuntur, explanari vis? Horum genetivorum vim grammatici aut intellegere cogitationeque comprehendere non potuerunt vel noluerunt, cum satis haberent dicere hos genetivos esse genetivos loci vel temporis, aut quisquis eos intellegere conatus est, sua sponte in meam rationem incidit. Nam ex usitata nostrorum grammaticorum interpretatione illorum genetivorum vis ita constituta est, ut genetivus spatium indicare diceretur, in cujus finibus aliquid versaretur. Qua de ratione jam supra pag. 18 diximus.

In latina lingua localis casus genetivi forma prorsus indutus apparet. Notandi imprimis sunt locales domi, belli, militiae, Romae, Corinthi (quae formae ita ortae sunt, ut ex bello-i evaderet bellei, belli, ex Romai evaderet Romae). For-

---

ticulam *εἰ* localem casum stirpis pronominalis *‚sva‘* esse docuit. Quod comprobatur comparatione latinae particulae *‚si‘* vel *‚si-c‘* — (c est suffixum, ut in hi-c, hae-c, ho-c), cujus *‚sic‘* Festus p. 534 priscam formam *‚svad‘* affert. Primariam igitur particularum *εἰ* et *‚si‘* significationem eam fuisse puto, ut significarent: *‚so‘*. Eadem igitur vi praeditae sunt, qua germanicae particulae *‚sva‘* et *‚sô‘*, quae ad eandem stirpem *‚sva‘* revocandae sunt. In nostro quoque sermone particula *‚so‘* ita utimur. ut sit particula optativa (‚so wollte ich doch‘), adhortativa (‚so trink doch‘, *εἰ δ'ἄγε* ‚so mach' doch‘), conditionalis (‚daz wir in dem tôde sweben, sô wir aller beste waenen leben‘ a. Heinr. 96; ‚so Jemand Gottes Willen tut‘ in libris sacris). G. Curtii, Aufrechtii, aliorum rationem secuti, ex qua temporalis significatio particulae *εἰ* primaria est, universum particulae usum comprehendere non possumus (cf. *Γ*, 180, de quo loco Curtius egit ‚Studien‘ 1, 2. p. 286).

Ut igitur ad genetivos *ἠοῦς*, *τῶν προτέρων ἐτέων* cet. rediremus, ellipsin agnosceremus, si uno tantum loco substantivum aliquod, e quo genetivus pendere dicitur, additum esset, (ut in dictione *ἐν δόμοις Ἀΐδου*): quod fieri debebat, si recte judicavimus ellipsin oriri demum apud Homerum.

tasse huc referenda sunt etiam duo exempla, quae exstant apud Cat. R. R. c. 17: ,quidvis anni legere possis'. ,Item quidvis anni matura est.' De cognatione localis et genetivi latini optime disputavit Boppius in dissertatione supra laudata (pag. 83 sq.).

Insignia specimina genetivorum, qui localis casus notionem habent, etiam germanica lingua praebet. Exempla pauca tantum in medium proferre liceat: ,jáindváirths (*ἐκεῖ*), áirs (*πάλαι*), tages inti nahtes, hiutes tages, tagelîches (quotidie), langes' (diu).

Quaeritur jam, num a locali sensu varia genetivi cum nominibus juncti genera intellegi possint. Atque ut singula exempla pendamus, pag. 17 exemplum scholiastae attulimus, in quo localis casus genetivi qui vocatur possessivi vices obtinet (,goshv îçvarah'). Paulo infra sequuntur exempla, in quibus genetivum quem dicunt partitivum localis casus ratione explanatum reperimus (,êka eshâm' alia). Quod idem exemplis e graeca lingua desumtis illustretur his: *α*, 24: *οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος, οἱ δ'ἀνιόντος*, de quo exemplo Classenus in observatt. de Homerico usu loquendi institutis (pag. 179) recte judicavit, cum diceret genetivum dependere ac liberius applicari ad subjectum *οἱ μὲν — οἱ δέ*. Sed localem sensum genetivo inesse quis est, qui non videat. Hoc igitur loco genetivum possessivum*) a locali notione profecti facillime interpretari possumus.

*ξ*, 97: *οὔ τινι τόσση* (scil. *ζωή*)
*ἀνδρῶν ἡρώων οὔτ' ἠπείροιο μελαίνης*
*οὔτ' αὐτῆς Ἰθάκης.*

quos genetivos e vocibus *ἀνδρῶν ἡρώων* aptos localem sensum habere complures grammatici cognoverunt, sed genetivos loci esse perperam putarunt.

Alia exempla profero haec:

*πάντες δ'εὐχετόωντο θεῶν Διῒ Νέστορι τ'ἀνδρῶν* i. e. Jovi, qui inter deos est, et Nestori, qui inter homines est. Herod.

*) Recte enim Ameisius ad h. l. adnotat: ,Dem personificirenden Sänger gilt Hyperion als Herr und Besitzer jener Gegenden'.

VI, 8: *σὲ μετέρχομαι τῶν θεῶν*, ξ, 443: *δαιμόνιε ξείνων*, χ, 255: *ἐπίσκοποι ἁρμονιάων* i. e. ii, in quorum finibus agendi, in quorum muneribus *ἁρμονίαι* sunt. ψ, 618: *τάφου μνῆμα*, *Ω*. 63: *κακῶν ἕταρε* (,Gefährte im Bereich des Leids, im Leid'). *O*, 428: *νεῶν ἐν ἀγῶνι πεσόντα*, in quibus verbis primitus non est sententia: ,Kampf um die Schiffe', i. e. ,zur Erhaltung der Sch.', quae sententia a nobis ad graeca verba transfertur, sed nihil aliud est, nisi: ,Kampf bei den Schiffen, im Bereich derselben' (cf. lat. ,pugna Cannarum' = ,pugna apud Cannas commissa', francogall. ,la bataille de Salamis' ,la noce de Cana'). *κρείσσονα γυναικῶν**), *Θῆβαι τῆς Βοιωτίας* i. e. ,Thebae, quae in Boeotia sitae sunt', *οἱ χρηστοὶ τῶν ἀνθρώπων* ,boni, qui inter homines sunt'. Etiam genetivi qui dicitur subjectivi et objectivi notio referri potest ad localis casus notionem, qua quid in finibus personae vel rei alicujus versari exprimitur. Quod explanetur hoc exemplo: *τὸ μῖσος τῶν πολεμίων* i. e. ,der Hass, der im Bereich der Feinde ist, den die Feinde haben, der Hass der Feinde, sive der Hass, der sich im Bereich der Feinde erstreckt, gegen die Feinde'.

Videmus igitur maximam genetivi usus partem a localis casus significatione profectos nos facile interpretari posse. Atque haec mihi videntur initia genetivi fuisse, quae parva sane non sunt quibusque factis genetivi usus finibus satis late patentibus circumscriptus erat. Sed vel amplius genetivi fines prolati sunt, atque id ita, ut localis notio, quae primitus in genetivo erat, procedente tempore obliteraretur et in omnibus conjunctionibus duorum nominum, quamquam aliae significationes iis suberant, adhiberetur genetivus et eae quoque relationes, quae in ablativo et instrumentali casu inerant ge-

*) Discrimen, quod apud hanc vocem et similes (ut *ἄναξ*) et apud verba similia cum genetivo et locali casu conjuncta postea exstabat (ita ut voces cum gen. conjunctae denotarent: ,superiorem esse', cum locali conjunctae locum tantum indicarent, quo quis regnaret vel potens esset) antiquiore tempore non ponendum est, sed posteriore demum aetate, cum horum casuum usus magis discederet et certioribus finibus constitutus esset, exstitit.

netivo imponerentur. Exstiterunt igitur locutiones, quales sunt *ἀγγελία τῆς Χίου* (Nachr. von Chios her) *κύματα παντοίων ἀνέμων, ἧτται τοῦ πόματος*, aliae. Ut breviter dicam, genetivus in posteriore usu est casus, qui cohaerentiam arctamque duorum nominum conjunctionem indicat, cui variae et multiplices significationes subsunt.

Primariam igitur genetivi vim localem fuisse iis, quae adhuc disputavi, probasse mihi videor. Sed fortasse aliquis quaerat, cur lingua, cum localis casus jam vigeret, ultro alium casum, genetivum, eadem significatione praeditum formaverit, et sumptum linguae effusiorem esse dicat, cum utrumque casum effinxerit. Ut igitur de ratione, quae inter localis et genetivi casus usum intercedebat, breviter dicerem, localem casum initio ita usurpatum fuisse puto, ut et cum nominibus et cum verbis conjungeretur ad eos fines describendos, intra quos aliquid versaretur. Postea autem, cum genetivus procreatus esset, localis casus ea tantum munera retinuit, ex quibus conjungitur cum verbis, cum cetera ejus munera in genetivum transferrentur, ita tamen, ut localis casus etiam prioris usus, quo cum nominibus quoque conjungebatur, reliquias quasdam reservaret: cujus usus genetivo et locali communis sexcenta exempla a Delbrueckio et Sieckio allata invenies (cf. pag. 17 goshv îçvarah, *ἄναξ* similia cum locali casu constructa, p. 25, ubi de adjectivis cum genetivo conjunctis agetur). In genetivo et locali casibus procreandis, qui, quamquam eandem significationem habebant, usu tamen aliquid diversum spectabant (alter enim casus nomina, alter verba sequitur ad idem significandum) ubertas fecunditasque ostenditur, quae priscae linguae aetatis propria est. Qua ex parte liceat mihi Pottii viri doctissimi verba in medium proferre, quae huc spectant. ‚Die Sprache', inquit,*) ist reich, aber haushälterisch mit ihren Mitteln, setzt ihren Reichtum nicht in die M e n g e von Gebilden gleichen Inhalts, sondern in die fruchtbare Anwendung zu verschiedenen, oft auch vielleicht n i c h t a l l z u-

*) Quaestt. etymolog. ² II, p. 702.

verschiedenen Zwecken'. Comparari etiam possunt voces synonymae et quod Pottius l. l. attulit, variae aoristi formae, imprimis autem dativus quoque et localis, quorum casuum in altero localis notio magis praevalet, cum dativi forma eas potius relationes susceperit, in quibus notio sensibus subjecta ad cogitationem jam translata est.*)

Haec hactenus de genetivo cum substantivis conjuncto. Deinde quod ad genetivos cum adjectivis et adverbiis conjunctos attinet, ut eos quoque leviter attingamus, etiam hic genetivi usus ei, quam nos genetivo inesse volumus, naturae minime repugnat. Omnia enim adjectiva, quae e genetivo apta Siecke l. l. p. 30 sq. enumerat,aut cum in substantivorum usum abierint, eorum ratione nituntur, aut cum et genetivum et localem asciscant, hac ipsa re genetivi et localis munera non disparata esse demonstrant.

Respectis autem adjectivis et adverbiis qualia sunt *πλήσιος*, *ἀντίος*, *ἄγχι*, *ἐγγὺς*, *ἔνδοθι* cet., et praepositionibus, quas quidem adverbia primitus fuisse constat, *ἕνεκα*, *διὰ*, *ὑπὲρ* (sscr. *upari*), *ἐπὶ*, *πρὸ*,**) similibus apparet genetivum, quo expleatur notio iis subjecta, localem vim habere. Minime vero genetivi cum adjectivis conjuncti ita explanari possunt, ut genetivo cohaerentiam duorum nominum indicari dicatur. Nam ut exempla afferam, genetivi, qui adjectiva *καθαρὸς* et *δυστηνός* sequuntur (Her. II, 38, Aesch. Pers. 873, Eur. 112), ista quidem ratione minime intellegi possunt, sed facillime ea interpretatione, ut genetivus fines vel regionem indicare dicatur,

---

*) De universa hac quaestione videsis Langii orationem in congressu philologorum Misniensi habitam (p. 5).

Ceterum cum dativum quoque a locali casu non procul distare constet, si quidem recte de gen. judicavimus, dativum quoque a genetivi usu parum abhorrere consentaneum est: id quod comprobatur exemplis a Lesbonacte p. 181 allatis: *χαλινὸν τῷ ἵππῳ*, *ἡ κεφαλὴ τῷ ἀνθρώπῳ*, aliis

**) Animadversione dignum mihi videtur quod genetivus purus praeter improprias praepositiones, quales sunt *ἕνεκα*, *χάριν* (lat. causâ, gratiâ) ipsas veras praepositiones nunquam assumit, si quidem eas detraxeris, in quibus terminatio alicujus nominis latet, ex quo gen. pendeat, ut in *διὰ* = *διαί*, *ὑπέρ* = *ὑπερί*, *πρό* = pro-d. Praeterea cf. Siecke l. c. p. 60.

intra quam quis purus sive infelix sit (‚unglücklich im Bereich von, in Beziehung auf, in Hinsicht auf' —). Cognosci autem hic potest eam definitionem, qua genetivus relationem indicet, ea, quam nos amplexi sumus, comprehendi atque angustiorem esse.

Restat, ut quaeramus, quae ratio intercedat inter nostram genetivi definitionem et eam, quam Rumpelius vir acutissimus statuit, cum argumentis, quae magis in philosophia versantur, genetivi naturam ac vim constitueret. Ut igitur ea, quae ille disputavit, proferamus: ‚Bei der Analyse,' inquit (pag. 195), irgend einer Genetivverbindung wird sich ergeben, dass der im Genetiv enthaltene Begriff allemal das Prius, die notwendige Voraussetzung für den Begriff des regierenden Substantivs enthält. Es ist ein absolutes Gesetz des Gedankens, dass das Besondere zu seiner Voraussetzung das Allgemeine fordert; dies Gesetz bestätigt sich auch hier. . . . . . Der Genetiv ist also der Casus, der auf sein Besonderes bezogenen Allgemeinheit, der ein Substantiv als sein Besonderes bestimmenden Allgemeinheit. Im Genetivverhältniss haben wir die innerlich vermittelte Combination zweier Substantivbegriffe, von denen das genetivische das Bezogensein auf einen anderen ausdrückt, welcher innerhalb seiner Sphäre liegt; der genetivische Substantivbegriff erhält dadurch die Bedeutung des Allgemeinen, welches einen anderen als sein Besonderes setzt.'

Hac Rumpelii ac mea genetivi definitione accuratius perpensa vides diversa via ad eandem rationem genetivi naturam ac vim propriam constituendi nos pervenisse. Nimirum cum ex Rumpelii interpretatione genetivus genus, alterum autem nomen, e quo genetivus pendeat, speciem denotet, ea definitio eodem spectat, quo mea. Nam ut exemplo *κῦμα θαλάσσης* utar, id, in cujus finibus aliquid versatur (scil. mare) genus est ejus rei, quae in finibus illius versatur (scil. unda) i. e. quae species est generis maris. Vel cum Rumpelius dicit genetivo ‚logicum prius' exprimi, ne ea quidem definitio a mea abhorret, cum id, in cujus finibus aliquid versetur, vel genus, prius ponendum esse, quam id, quod versetur in finibus illius, consentaneum sit.

Hoc autem consensu utriusque definitionis, quarum altera e philosophiae, altera e linguae studio petita est, ea sententia, quam equidem de genetivi primaria vi ac natura statui, vel maxime probatur.

Venimus nunc ad secundarium (cf. pag. 12) genetivi puri usum, *quo cum verbis conjungitur*.

Genetivus, quamquam a verbali structura prorsus abhorret (pag. 12), tamen ex analogia nominum cum genetivo conjunctorum etiam verba sibi asciscit, quem adverbialem genetivi usum (ita eum usum dicere mihi liceat, quo genetivus ad verba accedit) ab adnominali usu originem ducere patet. Quod quomodo fiat, facile intellegi potest. Verba enim ex analogia eorum nominum, in quorum notionem cadunt, ita cum genetivo conjunguntur, ut nominalis notio, quae verbo subest, genetivum efficiat. Atque ut exempla nonnulla afferam, ita explanandus est genetivus, qui ponitur apud verba *πειρᾶν*, *πειρητίζειν*, *βασιλεύειν*, *ἀνάσσειν*, *ἀριστεύειν*, alia, in quibus dictionibus genetivus propterea ponitur, quod latent notiones nominum *πεῖρα* (*πειρᾶν τινος* = *πεῖραν λαβεῖν τινος*), *βασιλεὺς*, *ἄναξ*, *ἄριστος*. Alterum porro genus genetivorum, qui verba sequuntur, ita comparatum est, ut genetivi potestas non nisi ad partem rei referatur et vis ejus sit partitiva, cum eadem verba accusativo assumto significent ‚rem quasi penitus subactam vel non partitam'. Haec autem sunt verba, quae indicant ‚sensibus percipere, gustare, bibere, edere, jaculari', similia. Exempla hujus usus genetivi enumerare longum est neque utile, cum in vulgus sit notum, quid sibi velint ii genetivi.

Omnes autem genetivorum cum verbis structuras postea quam genetivorum cum nominibus structuras exstitisse puto. Verba igitur, quae antea vel cum accusativo, vel cum locali vel cum instrumentali casu conjuncta sunt, postremo genetivum assumsisse mihi videntur. Velut ut unum exemplum afferam, quum verba implendi respicimus, jam in Vedicis carminibus et cum instrumentali et cum genetivo conjuncta nobis occurunt. Sed instrumentalem priorem fuisse constructionem, eo comprobatur, quod apud verba cum radice *par* (= implere) compo-

sita plerumque instrumentalis, rarissime genetivus adhibetur; omnino autem aetate graeco-italica*) instrumentalem in frequentiore usu fuisse, quam genetivum ut demonstrem, jam satis habeo ad latinam linguam rejecisse, quae apud verba implendi ablativum instrumentalis vice functum fere praebet, apud adjectiva, qualia sunt ‚onustus, refertus, praeditus, creber, densus‘ alia (uno excepto ‚plenus‘) semper adhibet ablativum. Quid? quod vel magis e natura sermonis elucet instrumentalem prius usurpatum fuisse. Nimirum cum ea, qua impletur, res aliqua materia primitus fuerit, nonne aptius ac primis linguae rudimentis convenientius esse tibi videtur, instrumentalem adhibere, quam genetivum? (Cf. pag. 15 sq.) Instrumentalis

---

*) Graeco-italicam aetatem accipiendam esse nuper Io. Schmidt (libro, qui inscribitur: ‚die Verwandtschaftsverhältnisse der indogerman. Sprachen‘. Weimar 1872) omnino negavit. Quae sententia quamquam hoc loco fusius atque omnibus ex partibus refelli non potest, liceat tamen de hac re pauca proferre. Concedendum est in graeca lingua plures partes ariacas exstare, quam in latina — id quod ne mirari quidem possumus, quia apud Italos, cum multo postea quam Graeci linguam literis mandassent, verba ariaca perire potuerunt, et ad Graecorum linguam conformandam Ari majorem vim attulerunt, quam ad remotiorum Italorum linguam —. Sed praeter cognationem linguarum ariacarum graecam et lat. linguam majorem inter se cognationem ostendere, haud difficile est cognitu. Utrique enim linguae propria, quae a primaria ceterarum linguarum natura prorsus abhorrent, sunt haec:

1) Prisca vocalis a, quam reliquae linguae servarunt, in graeca et latina lingua in o et u abiit.

2) Utraque lingua novam formam futuri exacti effinxit.

3) In utraque lingua accentus ultra tres ultimas syllabas non progreditur: id quod Corssenius et Io Schmidtius negarunt, cum exempli gratia in voce ‚opituma‘ vocalem i, si accentum acutum habuisset, excidere non potuisse dicerent. Sed accentum syllabam non tueri, ne corripiatur vel excidat, synicesi, quae vocatur, vel maxime probatur, velut Oed. Col. 1192: *ἀλλ’ ἔασον εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαί*, syllaba ε, quamquam accentum habet, incommensurabilis, ut ajunt, fit. Il. Γ, 152: *δενδρέῳ ἐφεζόμενοι.* Alia, quae huc pertinent, a G. Curtio prolata sunt in Kuhnii ann. tom. IX, p. 321 sq. Quibus perpensis Curtius aliique grammatici suo jure graeco-italicam aetatem tutati esse videntur.

igitur vetustior, genetivus posterior constructio est, quarum utraque in lingua graeca et latina servata est.

Caput II.

## De genetivis, qui ablativorum vice funguntur.

Genetivum graecum ablativi, qui in graeca lingua periisset, munera suscepisse viri grammatici comparatione linguarum adhibita jamdudum intellexerunt. Sed Delbrueckius demum hoc genus genetivorum graecorum accuratius descripsit ejusque fines ita constituit, ut non opus esse videretur plura verba de hac re facere. Attamen ut dissertationem de genetivo conscribendam plene integreque perficerem, summam saltem earum, quas Delbrueckius instituit, inquisitionum referre mihi proposui, ita tamen, ut pauca, quae de meo addenda haberem, proferrem.

Ac primum quidem consentaneum est, quum alterum casum in alterum transisse statuatur, eos casos vel formarum vel significationum cognatione quadam inter se conjunctos esse. Quod utrumque in ablativo et genetivo evenire videmus, cum et formis et significationibus aliqua ratio inter eos intercedat, de qua jam Curtius*) perbene disseruit. Nam cum genetivus, quamquam primitus localem sensum in eo fuisse probavimus, postera tamen aetate, ut supra concessimus, omnino duorum nominum cohaerentiam variis significationibus praeditam indicet et ablativo, ut jam Indi grammatici viderunt, separandi notio insit, significationes horum casuum non procul distare apparet. Notiones enim cohaerentiae et separationis, quamquam logice quidem possunt distingui, tamen psychologice — ut ita dicam — eodem redeunt.

*) ‚Erläuterungen‘ p. 165.

Sed etiam formam genetivi in ‚*s*' vel ‚*as*' exeuntis cum ablativo singularis numeri cognatam esse viri docti jam satis luculenter exposuerunt*). Accedit, quod etiam e legibus phoneticis, quae in lingua graeca valent, ablativus in genetivum transiret necesse erat. Terminatio enim ablativi sanscriti est ‚*at*', quod in graeca lingua in-ος, ipsam scilicet genetivi terminationem, mutandum erat.

Atque ut jam ad fines genetivi-ablativi, ut ajunt, constituendos transgrediamur, cum Delbrueckius l. l. accuratissime hunc usum genetivi amplexus sit, verba, quae cum gen.-ablativo conjunguntur, satis est enumerare et cum nulla paene controversia sit, hoc genus genetivorum paucis percurrere.

Delbrueckius igitur generali notioni separationis, quae in ablativo est, eas notiones, quae ut singulae separationis species accipi possunt, subjungens haec fere verba gen.-ablativum secum habere dicit:

1) verba veniendi, surgendi, egrediendi, cedendi, abstinendi, fugiendi vel pellendi, privandi: quorum usum pluribus exemplis illustrare supervacaneum est.

Eodem Delbrueckius refert etiam dictionem illam Homericam, quae exstat *Λ*, 547: *γόνυ γουνός ἀμείβων*, et recte quidem, sed argumento non addito. Verbum enim *ἀμείβειν* vel *ἀμείβεσθαι* propria vi separandi notionem habet, cum ad originem movendi reducenda sit, si quidem Curtius (‚elem. etymolog.' [3] p. 301) recte judicavit, cum *ἀμείβειν* ad radicem ‚*mav*' revocaret, quae latino verbo ‚mov-eo' inesset. Quod si ita est, *ἀμείβειν* primitus nihil aliud significat, nisi, verschieben.' Dubium igitur non est, quin genetivus *γουνὸς* pro genetivo-ablativo habendus sit, et cum voce *γόνυ* repetita et sine articulo posita vicissitudo aliqua expressa sit (ut in latina dictione: ‚manus manum lavat'), jam intellegitur illa verba significare: ‚ein Knie von dem anderen verschieben' i. e. ‚beide Kniee abwechselnd vorwärts oder rückwärts setzen.' Eadem ratione genetivus, qui Soph. Aj. 208: *τί δ' ἐνήλλακται τῆς ἠρεμίας νὺξ*

*) cf. Siecke l. l. p. 8.

*ἦδε βάρος*; (ed. Dind.), si quidem lectio recta est, vocem synonynam *ἀλλάττεσθαι* sequitur, genetivus-ablativus est, cum *ἀλλάττεσθαι* eadem stirpe manifesto utatur, qua pronomen *ἄλλος*, quae notio ex analogia genetivorum, qui comparativos sequuntur, ablativum separationis requirit.

Alia verba, quae Delbrueckio auctore genetívum-ablativum sibi asciscunt, sunt haec:

2) verba separandi, quibus adjuncta est notio liberandi, arcendi, solvendi, servandi, defendendi.

3) verba proficiscendi, nascendi.

4) verba bibendi (e poculo).

5) verba portandi, accipiendi, audiendi, comperiendi, discendi ab aliquo.

6) verba discernendi, superandi.

7) verba abdendi ab aliquo.

8) verba timendi ab aliquo.

9) verba materiam, ex qua aliquid factum est, vel causam, qua aliquid fit, indicantia.

10) verba, quae loci vel temporis spatium denotant.

Verba *ἅπτεσθαι*, *ἔχεσθαί τινος* similia Delbrueckius dubitat, quo referenda sint. Formâ quidem *τινός* cognosci non potest, quodnam genetivi genus sit. Verum hunc genetivum non purum genetivum, sed genetivum-ablativum esse et significationes, quae verbis *ἅπτεσθαι* simm. insint, terminum *πόθεν* requirere comprobatur nonnullis exemplis, in quibus ad notionem ‚unde' exprimendam genetivi-ablativi vice funguntur praepositiones *ἀπὸ. ἐκ*, vel alia ratione, ut suffixo *-θεν*, ablativi notio monstratur.*) Qualia exempla affero haec:

λ, 278: *ἁψαμένη βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο μελάθρου.*
ι, 386: *ἁψάμενος ἑκάτερθε.*
λ, 346: *Ἀλκινόου δ'ἐκ τοῦδ' ἔχεται ἔργον.*
ζ, 197: *τοῦ δ'ἐκ Φαιήκων ἔχεται κάρτος τε βίη τε.*
μ, 51: *ἐκ δ'αὐτοῦ πείρατ' ἀνήφθω.*

*) Eadem ratione etiam genetivos, qui verba *λούειν* vel *λούεσθαι* sequantur, gen.-ablativos esse infra p. 45. Faesio auctore demonstrabimus.

Fortasse etiam comprehendendi verba huc pertinent.

Tum Delbrueckius genetivos qui comparativos sequantur, huic generi attribuere vult, neque injuria, cum consensu linguarum cognatarum id probetur. Ablativus autem in his dictionibus positus initium indicat, a quo quis profectus personae vel rei alicujus proprietatem denotat. Cf. Delbr. l. c. pag. 19. Egregium vero in interpretandis his genetivis argumentum Persica lingua nobis suppeditat, e qua unum instar omnium exemplum proponam: ,*bah-tar az man*' i. e. besser als (von) ich (mir).*) Etiam Hebraicam linguam hic liceat respicere, quae ad comparativam relationem exprimendam utitur praefixo מִן, quod est ipsa latina praepositio ,a', ut מָתוֹק מִדְּבַשׁ (Jud. 14, 18) i. e. dulcior melle. Significatio igitur ,plus — quam' conjungenda est cum primaria significatione ,ab aliqua re'. Quam rationem improbans Curtius**) eo magis inclinare videtur, ut hos genetivos ducat puros genetivos relationis, qui dicuntur, simili ratione positos, qua genetivos, qui verba *ἄρχειν*, *βασιλεύειν* cet. sequantur: id quod fieri sanscritae et latinae linguae consensu vetatur, a quibus purus genetivus post comparativos positus prorsus abhorret.

Denique quod ad genetivos cum praepositionibus conjunctos attinet, Delbrueckius putat genetivum-ablativum apponi praepositionibus *ἀπὸ*, *ἐκ*, *πρὸ*, *ἄνευ*, *πλὴν*, *ἄχρι*, *μέχρι*, *κατὰ*, *παρὰ*, *περὶ*, *πρὸς*, *ὑπέρ*. Eos autem genetivos, qui cum praepositionibus *ὑπὲρ* et *πρό* conjuncti essent, jam supra (pag. 25 adnot.) diximus ita accipiendos esse, ut genetivi e casu (sive locali, sive ablativo) in his praepositionibus latente penderent, in qua interpretatione Curtium secutus sum.

*) cf. Lumsden: grammar of the persian language II, 280. Io. Aug. Vullers: institutiones linguae persicae II, p. 60. Ceterum notandum est in persica quoque lingua genetivum sequi comparativum, ut: ,ba kucaktar i khad hamsari nabayad kard' i. e. cum minore quam tu (es) societas non est facienda, ubi kucaktar i khad genetivi structura est.

**) ,Erläuterungen' p. 168.

Caput III.

## De genetivo instrumentali.

Postquam prioribus capitibus in purum genetivum et genetivum, qui ablativi vice fungitur, inquisivimus, jam ad tertium genetivorum genus transeundum nobis est, ad genetivum, qui instrumentalis munera suscepit. Quod cum statuimus, ante omnia summa illa lex respicienda est, qua sola fieri possit, ut alter casus alterius vice fungatur. Quae quidem est ea, ut jam supra diximus, ut ii casus, qui in unum coaluisse dicantur, significationum necessitudine quadam conjuncti sint. De hac igitur re primum videamus.

Ac prima quidem specie instrumentali qui dicitur casu aliquid videtur exprimi, quod a significatione genetivi toto coelo diversum est, et sunt fortasse, qui significationes his casibus subjectas prorsus discedere dicant. Sed qui ita judicant, propriam instrumentalis vim non satis cognovisse mihi videntur. Notione enim, quae primitus in instrumentali inerat, non instrumentum significatur, quo adhibito aliquid fiat (ut nomen hujus casus indicare videtur), sed ab ea provincia, in qua maxime occurrit vel, ut grammatici dicunt, a potiori hoc nomine instrumentalis notatus est. Ipsa vero principalis ac propria instrumentalis vis est ea, ut aliquem vel aliquid cum persona vel re aliqua una simulque esse (quod nos dicimus: ‚das Zusammensein,*) indicetur. Genetivum autem, quamquam primitus localis notio ei propria erat, tamen notione, quae postea in hoc casu posita esset, eam duorum nominum compositionem indicare vidimus, qua duo nomina inter se apta et connexa arcte conjungerentur (quod nos dicimus ‚die Zusammengehörigkeit‘). Cf. pag. 24. Genetivi igitur secundario usu duorum nominum, instrumentalis usu verborum cum nominibus cohaerentia indicatur. Quae cum ita sint, perspicuum erit

*) cf. Delbr. p. 50.

cognitu, quomodo fieri potuerit, ut instrumentalis munera a genetivo susciperentur.

Etiam alia ex parte instrumentalem in genetivum graecum facillime transire demonstrari potest. Ablativus enim, qui causam et materiam indicat, ab instrumentali casu non procul distat: id quod jam Boppius vidit, cum dissertationis supra laudatae pag. 87 de cognatione ablativi et instrumentalis haec diceret: ‚Der Ablativ trifft in dem Falle, dass er eine Ursache bezeichnet, in seiner Bedeutung mit dem Instrumentalis zusammen, der dasselbe Verhältniss zu bezeichnen fähig ist, weil die Ursache auch als Werkzeug der Vollbringung angesehen werden kann.‘ Ablativi autem, qui causam vel materiam indicat, munera, cum is casus in graeca lingua periisset, genetivus suscepit. Quae cum ita sint, ea, quae Boppius de ablativo dixit, etiam ad genetivum graecum referri possunt et instrumentalis casus in genetivum transitio quomodo fieri potuerit, facile cognoscitur.*) Denique cum respexeris praepositionem sanscr. ‚*sacâ*‘ (lat. = cum) et cum instrumentali et cum genetivo conjungi et praepositionem ‚*vinâ*‘ (lat. = sine), cui auctoritate Pâninis (II 3, 32) aliorumque virorum doctorum Indicorum innixis vocabulum ‚*nânâ*‘ addere nobis licet, et verba quoque separationem indicantia praeter ablativum etiam instrumentalem habere adjunctum, necessitudinem quandam inter instrumentalem et genetivum et genetivum-ablativum intercedere haud abnueris. Sed jam nostrum est, ut de singulis quaeramus.

Atque ut primum quidem de iis genetivis, quos Delbrueckius instrumentales esse dicit, disseramus ac dijudicemus, hic in extrema dissertatione sua saepius citata (p. 72) omnia, quae huc pertinentia disputavit, comprehendit his verbis: ‚Der instrumentale Genetiv ist der homerische im Sinne von durch — hin, mit ihm die Präposition *διά*, vielleicht auch *μετά*‘.

---

*) Genetivum ad instrumentalis naturam inclinare etiam Vilmar germanica lingua comprobat (l. l. p. 20 sq.)

Rectissime mihi videtur judicare Delbrueckius, cum dicat genetivum illum Homericum *πεδίοιο*, qui verba *ἔρχεσθαι, θέειν, ἰέναι, διώκειν, φέβεσθαι, ἕλκειν* sequatur, esse instrumentalem, quippe qui positus sit ad viam spatiumve indicandum, per quod quis perpetuo moveatur vel quod quis emetiatur. Huc igitur spectant exempla, qualia in carminibus Homericis saepissime occurrunt, ut ***B***, 801: *ἔρχονται πεδίοιο.* ***E***, 597: *ἰὼν πολέος πεδίοιο.* ***K***, 353: *ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον,* similia. Sanscrita exempla, quae in talibus locutionibus exhibent instrumentalem, ex hymnis Vedicis diligenter collecta affert Delbrueckius pag. 53 neque inepte comparat cum nostra dictione: ‚mit dem Wege gehen'. Quae sociativa vis, quamquam instrumentalis ponendi causam praebuit, tamen saepe obliterata est neque semper exstat, ne in Sanscrita quidem lingua, (ut in hoc exemplo: ‚abhí krishnéná rájasâ dyâ'm rinoti' i. e. durch dunkeln Dunst dringt er zum Himmelsglanze): id quod contra Hentzium (philol. tom. XXVIII, p. 515) dico. Partitivam (quae quomodo inesse possit, equidem ne intellego quidem) in iis exemplis esse genetivi structuram qui dicunt, ii latinam linguam velim respiciant, in qua eadem ratione, qua graece *πεδίοιο,* exstat ablativus, qui quidem instrumentalis partes obiit, ut in Horatiano illo exemplo: ‚ibam forte viâ sacrâ' (sat. IX, 1) Or. de multa contra L. Furium apud Charis. p. 128: ‚O quanti ille agros emit, quâ aquam duceret'. Liv. 33, 26: ‚Tusco vico atque inde Germalo per portam Capenam prope intactus evasit', et in aliis exemplis, quae Delbrueckius l. l. in medium protulit.

Alterum deinde Delbrueckius judicat genetivum instrumentalem in eo genetivo esse, quem praepositio *διὰ* sibi adjunctum habeat. Sed prorsus rejiciendam esse eam sententiam puto. Sunt enim in promptu fere haec, quae Delbrueckianae sententiae repugnant:

Primum Delbrueckius in eo valde errasse mihi videtur, quod putat vim, quae constructionibus verborum *θέειν, ἔρχεσθαι* cet. cum genetivo conjunctorum subsit, esse eandem atque eam, quae genetivi cum praepositione *διὰ* conjunctione expri-

matur. Discrimen autem quantum inter utramque dictionem interesset, mirum est virum doctissimum fugisse. Proprius enim sensus, qui praepositioni *διὰ* cum genetivo conjunctae subest, is est, non ut indicetur, qua via moveatur aliquis vel aliquid, sed inter aliquid vel per medium aliquid personam vel rem aliquam ire, ita ut in duas partes dividatur et aliquod spatium interjiciatur (non ut indicetur: ,über etwas hin', sed ,zwischen vel mitten durch etwas hindurch'), ut exempla docent haecce: *δι' ὤμου ἦλθεν ἔγχος*, *διὰ δ' αὐτοῦ πεῖρεν ὀδόντων*, *ἴθυσεν διὰ προμάχων*, alia. In praepositione *διὰ* igitur semper latet notio separandi: id quod perspicue cognosci potest in vocibus, quarum origo ad *διὰ* praepositionem revocanda est, velut *δϝ-ίς*, *δϝί-χα*, *δια-φέρειν* (proprie: ,auseinander tragen'), *δια-κοσμηθέντες*, *dis*-jungere, *dis*-ponere.*) Quae cum ita sint, ex significationis similitudine illius genetivi *πεδίοιο* genetivum cum praepositione *διὰ* junctum instrumentalem habendum esse Delbrueckius minime nobis persuasit.

Neque vero argumenta e carminibus Homericis petita eam habent vim, ut sententiae Delbrueckianae fidem faciant. Delbrueckius enim compluribus Iliadis et Odysseae locis affert praepositionem *διὰ* cum instrumentali casu, cujus sit terminatio *-φιν*, constructam inveniri, ut ***E***, 41, 57. ***Θ***, 259. ***Λ***, 448. ***X***, 284. *χ*, 93, in quibus eadem locutio repetita exstat:

*διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν.*

Quaerendum igitur est, quo jure Delbrueckius formam *στήθεσφιν* instrumentalem esse dicat. Quod ut dijudicemus, de suffixo-*φι* vel-*φιν* pauca verba faciamus necesse est.

Delbrueckius l. l. pag. 2 sententiam edidit-*φιν* suffixum tantum localis, instrumentalis, ablativi casus significationibus respondere. Sed e syntactico suffixi-*φιν* usu Homerico, de quo perbene disseruit Fr. Lissnerus,**) satis apparet etiam

---

*) Locutiones, quae e sermone posterioris aetatis petitae sunt, quales sunt *δι' ἔχθρας*, *διὰ φιλίας*, *διὰ φόβου ἰέναι*, *δι' ὀργῆς ἔχειν τινά*, aliae, in his quaestionibus adhiberi non possunt, cum genuina ac primaria vis praepositionis *διὰ* obliterata sit in illis neque pateat.

**) progr. gymn. Olomucensis a. 1865.

dativi et — quod hoc loco premendum est, genetivi vices tenere id suffixum.

Ac primum quidem genetivi vice fungitur suffixum in exemplo, quod invenitur *Φ*, 295: *πρὶν κατὰ Ἰλιόφι κλυτὰ τείχεα λαὸν ἐέλσαι.* Boppius,*) cum hoc suffixum genetivi loco adhiberi omnino neget, *Ἰλιόφι* localem casum esse dicit. Leo Meyerus**) alii *Ἰλιόφι* in *Ἰλίοο* mutari voluerunt, quae conjectura minime probanda est. Curtius et Lissnerus et ipse Delbrueckius, quibus viris doctis equidem assentior, *Ἰλιόφι* recte pro genetivo habuerunt, cum ita verterent: ‚in Ilions berühmte Mauern'.

Deinde Ameisius, Vossius, Lissnerus, Curtius alio loco, qui exstat *μ*, 45:

*πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θίς*
*ἀνδρῶν πυθομένων*

*ὀστεόφιν* genetivum esse dixerunt, qui penderet e nomine *θίς*, ita ut vertendum esset: ‚Ringsherum lag ein grosser Haufen von Gebeinen modernder Männer'. Quid aliud Delbrueckius proferre potest, nisi ‚locum non dilucidum esse et aliter interpretandum', versu nisus, qui est *π*, 145: *φθινύθει δ' ἀμφ' ὀστεόφιν χρώς.* Ex analogia enim hujus loci Delbrueckius et Meyerus quoque *ὀστεόφιν* cum *ἀμφὶ* praepositione conjungi et utrumque e verbo *πυθομένων* dependere volunt. Sed in priore exemplo inter voces *ἀμφ' ὀστεόφιν* et *πυθομένων*, quod verbum proximo demum versu sequatur, tanto intervallo sejunctas aliquam rationem intercedere maxime dubium neque naturae ac simplicitati Homerici usus loquendi consentaneum esse mihi videtur. Praeterea autem versio verborum: ‚das Faulen um die Gebeine' aliquid artificiosi neque quidquam verisimile habet: id quod jam Lissnerus notavit. Alia sane est res in altero exemplo: *φθινύθει δ' ἀμφ' ὀστεόφιν χρώς*, quamquam hoc quoque loco potest profecto fieri, ut *ὀστεόφιν* e nomine *χρώς* aptum ita interpretemur, ut vertamus: ‚Ringsherum schwindet

*) Gramm. compar. I³ 433.

**) ‚Gedrängte Vergleichung der griech. u. lat. Declination' (p. 55).

die Haut der Knochen‘ sive ‚die Haut an den Knochen‘: qua ratione id quod supra diximus, primariam genetivi vim localem notionem fuisse comprobari potest.

Tum Lissnerus et Curtius loco allato, qui exstat: *Λ*, 350: *οὐδ' ἀφάμαρτε τιτυσκόμενος κεφαλῆφιν*, cum verba petendi genetivus purus sequeretur, *κεφαλῆφιν* ut genetivum acceperunt. Delbrueckius quidem *κεφαλῆφιν* localem quoque casum esse posse opposuit, sed cum verba ‚petendi telo‘ cum locali casu nullo loco constructa sint, *κεφαλῆφιν* pro genetivo habendum esse videtur.

Denique genetivi vice suffixum-*φιν* fungitur *T*, 255: *τοὶ δ' ἄρα πάντες ἐπ' αὐτόφιν εἵατο σιγῇ* (id quod Faesius et Kruegerus suspicati sunt), ita ut *ἐπ' αὐτόφι* idem sit, atque *ἐφ' ἑαυτῶν*: ‚für sich sassen sie ruhig‘. Eadem enim vi praepositio *ἐπὶ* cum genetivo conjuncta occurrit *H*, 195: *εὔχεσθε .... σιγῇ ἐφ' ὑμείων*.

Quod autem Lissnerus et Curtius *Θ*, 279 in versu: *πολλὰ δὲ καὶ καθύπερθε μελαθρόφιν ἐξεκέχυντο* genetivum purum *μελαθρόφιν* esse voluerunt, equidem Hentzio (philol. tom. XXVIII, pag. 529) assentior, cum adverbium *καθύπερθε* absolute positum et *μελαθρόφιν* ablativum esse judicet, neque minus *Π*, 762: *κεφαλῆφιν ἐπεὶ λάβεν*, cum *O*, 716: *πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν* inveniatur, *κεφαλῆφιν* ablativum esse censeam. Quamquam de hoc dubitari potest, cum suffixum-*θεν* etiam puri genetivi vice fungi demonstretur his locis: *π*, 439, *π*, 94, *υ*, 42. Qua de re dijudicari tum demum potest, quum exploratum erit, quo referenda sint verba comprehendendi, de quibus ne ego quidem certo judicare ausim.

Quaeri potest, quomodo factum sit, ut suffixum-*φιν*, quod casuum localis, instrumentalis, ablativi proprium esset, etiam genetivus assumeret: ad quod quid respondeamus, non dubitamus. Nam cum genetivus localem casum, ut supra exposuimus, primitus aequaverit, etiam genetivus ab hoc suffixo non abhorret. Praeterea autem etiam ab ablativo et instrumentali, quos casus in genetivum sive tota sive quadam ex parte translatos esse statuimus, suffixum-*φιν* in genetivi provinciam

transire potuit eadem ratione, qua-*θεν* suffixum ablativi tantum proprium etiam genetivi vice fungitur.

Quae omnia si recte disputavimus, ut jam ad exemplum *διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσεν* redeamus, non opus esse videtur *στήθεσφιν* instrumentalem formam putare. Immo vero in genetivi puri provinciam eam vocem referre licet, ut genetivus dependeat e locali casu in *διὰ* praepositione latente, cujus forma secundaria *διαὶ* apud Aeschylum servata localis casus vestigia aperte prae se fert. Cf. Curtii ‚explicatt.' pag. 176.

Jam vero ut de aliis genetivis instrumentalibus disceptemus, Delbrueckius genetivum praepositione *μετά* praeditum dubitat his annumerare, cum equidem in hoc ipso genetivo certum argumentum transitionis casûs instrumentalis in genetivum factae invenisse mihi videar. Praepositio enim *μετά*, cum *locali* quidem sensu jam dativum vel potius localem casum assumsisset (ut *Α*, 64: *ὁτὲ μέν τε μετὰ πρώτοισι φάνεσκε, ἄλλοτε δ' ἐν πυμάτοισι*, *Κ*, 250: *μετ' Ἀργείοις ἀγορεύεις*), sermo insito atque innato quodam distinguendi studio adductus — quod in aliis quoque locutionibus apparere inter omnes constat — *μετὰ* praepositionem *sociativa* vi praeditam cum genetivo conjunxit, quippe qui instrumentali esset affinis. Exempla sunt haec:

*Ν*, 700: *μετὰ Βοιωτῶν ἐμάχοντο* i. e. conjuncti cum Boeotiis pugnabant

*Φ*, 458: *οὐδέ μεθ' ἡμέων πειρᾷ*

*Ω*, 400: *τῶν μετὰ παλλόμενος*

*κ*, 320: *μετ' ἄλλων λέξο ἑταίρων*

*ϱ*, 140: *μετὰ δμώων πῖνε καὶ ἔσθε.*

(*Α*, 51: *μεθ' ἱππήων*, ubi exstat varia lectio *μέγ'*.)

Animadversione autem dignum ac notabile est, quod, quantum equidem inveni, solis iis, quos attuli, locis *μετὰ* cum genetivo conjunctum in carminibus Homericis invenitur. In posteriore quidem lingua hic instrumentalis genetivi usus frequentissimus factus latissime patet, ut Lys. II, 55: *μετὰ πλείστων πόνων καὶ ἀγώνων ἐλευθέραν ἐποίησαν τὴν Ἑλλάδα.* Thuc. VI, 28: *μετ' οἴνου καὶ παιδιᾶς* (‚beim Wein und im Scherz'), in

quibus dictionibus nullo modo fieri potest, ut aliter genetivi accipiantur. atque instrumentales, positi ad indicandas eas vel personas vel res, quae comitantur quasi actionem verbo expressam. Hic ipse genetivi usus luculentissime mihi videtur demonstrare, quam propinqua habeant confinia genetivus et instrumentalis: id quod maxime apparet in locutione trita et in vulgus nota: *οἱ μετὰ Πλάτωνος*, quod plane id ipsum est: ‚auditores et discipuli Platonis'.

Posteaquam igitur duos tantum eorum, quos Delbrueckius statuit, genetivos instrumentales agnovimus et jure ac merito eos accipi nobis videmur demonstrasse, nos ultra Delbrueckii sententiam progressi instrumentalem genetivi usum censemus nondum esse absolutum ac circumscriptum.

Atque primum quidem etiam genetivum pretii, qui dicitur, ita esse explicandum puto, ut genetivus instrumentalis sit. Quod ut nonnullis pateat exemplis, affero: *X*, 50: *χαλκοῦ τε χρυσοῦ τ' ἀπολυσόμεϑ'(α)* i. e. redimemus auro, quod dabimus (‚durch Gold' vel ‚für Gold') *Α*, 160: *ἔλυσεν ἀποίνων* i. e. reddidit pretio, quod ei afferebatur (‚für Lösegeld'). *Ψ*, 485: *τρίποδος περιδώμεϑον*, *ψ*, 78: *ἐμέϑεν περιδώσομαι αὐτῆς*.

Genetivum autem ita interpretantibus non solum Sanscrita lingua, quippe quae instrumentalem praebeat, nobis subvenit, sed etiam argumenta e latina lingua petita non desideramus. Sermonem enim latinum verba emendi vel vendendi et quae similia significent, cum ablativo i. e. instrumentali conjungere inter omnes constat, velut Plaut. Pseud. IV, 7, 95: ‚quantillo argenti te conduxit Pseudolus?' Merc. II, 4, 19: ‚Atque eximam Mulierem pretio?' (cui exemplo prorsus respondet Homericum illud *ἔλυσεν ἀποίνων*.) Most. III, 2, 136: ‚eo pretio empti fuerant olim'. Ac ne quis forte dicat obstare ei rationi id, quod in lingua latina praeter ablativum etiam genetivus pretii ponatur in locutionibus, quales sint ‚magni, parvi, pluris, minoris' cet., dicendum mihi est, quid de iis genetivis judicem. Atque mea quidem sententia ii genetivi non ex ipso verbo emendi vel vendendi pendent, sed ex nomine quodam cogitatione adjiciendo, quod fere est ‚homo'. Velut cum legimus

Bach. V, 2, 38: ,nihili sum', plena cumulataque dictio est haec: ,homo nihili (= nullius pretii) sum' vel Epid. I, 1, 49: ,istanc, quam emit, quanti eam emit?' i. e. ,als eine captiva von wie hohem Preise hat er sie gekauft?' As. II, 4, 66 et Cas. II, 3, 29: ,unde is nihili?' = ,unde is homo nullius pretii?', ubi ,nihili' absolute positum ratione genetivi pretii exstat. Mea igitur sententia eo pertinet, ut latinos genetivos pretii, qui in quibusdam finibus circumcise constitutis occurrant, genetivos qualitatis esse velim et ablativi constructionem in verborum conjunctione adhibitam esse ad indicandum pretium, quo quis emat vel vendat aliquam rem. Qua de causa exemplum, quale est: ,novi hominem nihili' = ,nullius pretii' (Truc. II, 7, 40) eodem referendum esse puto, atque id, quod exstat Pseud. IV, 7, 99: ,quem ego hominem nulli coloris novi'. Quae ratio si non initur, minime comprehendi potest, quo modo genetivus et ablativus latinus, quamquam ceteroquin nihil habeant commune neque unquam provinciae horum casuum intermisceantur, hoc in genere ad idem indicandum a sermone usurpari potuerint.

Quibus verbis factis id, quod graeci genetivi instrumentalis rationi, quam apud verba emendi et vendendi statuimus, opponi possit, nos ante occupasse putamus.

Quamquam dativus quoque casus in iis, de quibus disseruimus, locutionibus instrumentalis vice fungitur in sermone graeco, sed rarissime et in carminibus Homericis — nisi legendi neglegentia quaedam me fefellit — bis tantum: ***H***, 473: ,*ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ* — *ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.* et *ο*, 483: *πρίατο κτεάτεσσι ἑοῖσιν.* Quod mihi ita esse factum videtur, ut instrumentalis, cum saeculis labentibus evanesceret, propter ipsam, quam supra cognovimus, et cum genetivo et cum dativo cognationem significationis in utrumque casum distractus atque inclinatus modo in genetivum, modo in dativum transiret: cujus rei plura exempla infra notabimus.

Nec minus memorabile instrumentalis casus in genetivum transitionis vestigium ex meo judicio exstat ***H***, 410: *πυρὸς*

*μειλισσέμεν ὦκα* (scil. *νεκύας*) i. e. homines mortuos placare*) vel morem iis gerere igne. Idem verbum in posteriorum poëtarum sermone dativus solebat sequi, ut apud Theocr. XVI, 28: *μειλίσσειν τινὰ τραπέζῃ*, unde apparet hic quoque instrumentalem in transeundo ad genetivum et dativum nutasse. Vide autem, quam artificiosa ac falsa sit antiquorum grammaticorum interpretatio: ,homines mortuos placare eo, quod cremationem praebemus, ita ut cremationis participes sint'. Ejus modi igitur argumenta acu quasi enucleata et arte quadam congesta illi grammatici conquirant necesse est, ut partitivam probent esse structuram illius locutionis. Ista vero argumentatione non quid sit genetivus amplexi esse mihi videntur, sed totius locutionis sententia quid sibi velit, pluribus verbis onerasse et copiosa loquacitate circumisse.

Sed haud dissimili neque minus inepta ratione usi sunt grammatici, cum genetivum, qui verba cremandi apud Homerum sequeretur, docerent indicare, a quo aliquid proficisceretur. Exempla dico, velut ***B***, 415: *πρῆσαι δὲ πυρὸς δηΐοιο θύρετρα.* ***I***, 242: *αὐτὰς* (scil. *νῆας*) *δ'ἐμπρήσειν μαλεροῦ πυρός.* ***Z***, 331: *μὴ τάχα ἄστυ πυρὸς δηΐοιο θέρηται*, alia quae afferre longum est. Quid? quod ita rem expediebant localistae: ,aliqua face ex igne petita naves incendere', tamquam si cum breviloquentia quadam — audacissima quidem — verba dicta essent. Qua de ratione quid sit judicandum, uniuscujusque arbitrio permittam. Hentzius (philol. tom. XXVIII, pag. 514), quamquam in interpretando genetivo, qui cum verbo *ἐμπρῆσαι* conjunctus est, Naegelsbachi rationem sequitur (,etwas mit hauchendem Feuer gleichsam erfüllen'), tamen apud verbum *θέρεσθαι* facere non potest, quin instrumentalem esse genetivum statuat. Quam quidem diversam rationem explicandi genetivi, qui apud synonyma verba *πρῆσαι* vel *ἐμπρῆσαι* et

---

*) De partitiva vi, quae verbo *χαρίζεσθαι* inest, apud verbum *μειλίσσειν* cogitari non potest. Significat enim nihil aliud, nisi ,placare', a qua significatione partitiva potestas prorsus abhorret. De etymologia verbi *μειλίσσειν* cf. Curtius ,elementa, [3] p. 307 sq. Pott ,quaestt. etymol. I[2], 265. Benfey ,glossarium' I, 500.

*θέρεσθαι* positus est, equidem non probaverim, sed una eademque ratione genetivum apud haec omnia verba positum ita explicaverim, ut genetivus instrumentalis esset. Ceterum quod in eadem dictione dativum quoque carmina Homerica praebent, haud scio an rem ita se habere accipi possit, ut genetivus *πυρὸς* sit instrumentalis, dativus vero *πυρὶ* localis casus: quam ut sequamur rationem, iis maxime adducimur locis, in quibus vicaria praepositio *ἐν* accedit, velut *Ω*, 38: *ἐν πυρὶ κήαιεν*. Quod si non probetur, forsitan hic quoque opus sit ponere sermonem instrumentali casu evanescente cum nutatione quadam et genetivum et dativum loco illius expertum esse, quem utrumque casum instrumentali quodam modo significatione affinem esse supra monuimus.

Prinsquam autem dissertationi de genetivo instrumentali institutae finem imponamus, de adverbio *ἑξείης* liceat pauca verba facere, quae, cum instrumentalis genetivi genus statuamus, ad illustrandam muniendamque hanc rationem non nihil afferre nobis videntur.

Kisslingius enim, vir doctissimus, in Kuhnii annal. tom. XVII, pag. 200 de eo adverbio disserens eam vocem, quamquam genetivi formam palam prae se ferat, tamen ut genetivum accipiendum esse negat, cum id, quod significet, a genetivi vi nimis remotum sit. Valde autem Kisslingius aliique grammatici errasse mihi videntur, cum *ἑξείης* ablativum feminini generis esse vellent. Nam et forma et significatio vocis ei rationi repugnat. Expedita vero est res, quum genetivum instrumentalem id adverbium esse statuamus. Quae opinio probari mihi videtur comparatione linguae Sanscritae. Etenim jam Benfeyus *ἑξείης* cum instrumentali *sahasâ* rectissime contulit*) sed id, quod sequitur ex hac comparatione, genetivum

*) cf ‚Wurzellexicon' I p. 381. Sanscrita voci respondet graeca **ἕχεσαι*, **ἕξα*, ex qua femininum **ἑξεία* formatum est. Significatio autem primaria est ‚zusammenhängend' (quae quidem in Sanscrita lingua tantum in tempus indicandum concluditur) et eandem etiam Graeco *ἑξείης* subesse accipiendum est (cf radic. sanscr. sah, graecam *σεχ*- i. e. ‚sich an einander halten').

graecum instrumentalis locum tenere viri grammatici in syntaxi comparativa non persecuti sunt. Itaque cum id, quod Benfeyus in una voce feliciter animadvertit, neglectum jaceret, ἐξείης adverbii natura ac vis non percepta est.

Qua de re si recte judicavimus, en egregium argumentum, genetivum graecum instrumentalis vice quadam ex parte functum esse!

## Caput IV.

# De genetivo locali qui putatur.

Localis quoque casus partes in genetivum graecum translatas esse primus Delbrueckius statuit. Quae sententia quamquam iis, quae cap. I de propria genetivi natura ac vi disputavi, ad irritum redacta est, tamen, ne rem silentio omnino praeteream, pauca mihi proferenda sunt.

Ac primum quidem legentium animos ad errorem advertam, quo commisso Delbrueckius ipse totam suam sententiam infirmam ac levem reddidit. Pag. 27 enim l. l. Delbrueckius, cum dativus pluralis et dativus singularis numeri (tertiae declinationis) localis casus suffixis plane formati sint et dativi formae, quae in ᾳ vel ῃ et ῳ exeant, etiam pro localis casus formis haberi possint (quia eo tempore, quo carmina Homerica scripta sint, signum literae ω nondum exstiterit,), ad eam sententiam adducitur, ut putet rectius dicendum esse dativum locali casu consumtum esse, re vera igitur non localem, sed dativum casum periisse. Quodsi ita res se haberet, Delbrueckio postea dicere non liceret localis munera ab alio casu suscepta esse, quippe quum localis casus e Delbrueckiana sententia re vera exstitisset neque munera ejus in alium casum transferenda essent.

Quamquam igitur ea, quae Delbrueckius statuit, omittere licet, tamen perquiramus et paucis perstringamus eos genetivos, quos localis casus vice fungi dixit. Ac primum quidem pro locali casu contendit adhibitum esse genetivum, qui exstaret in exemplis illis Homericis: **P**, 372 (*νέφος οὐ φαίνετο πάσης γαίης οὐδ' ὀρέων*), **I**, 219; **Ω**, 598; ψ, 90 (*ἕζετο τοίχου τοῦ ἑτέρου*). Sed genetivos puros eos esse, quibus primaria genetivi notio localis propria esset, supra exposuimus. Deinde Delbrueckio genetivus, qui verbum *λούειν* vel *λούεσθαι* sequitur, localis casus partes agere videtur. Exempla, quae huc spectant, sunt haec:

**E**, 6: *λελουμένος Ὠκεανοῖο*

**Z**, 508: *εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο.*

**Φ**, 560: *λοεσσάμενος ποταμοῖο*

β, 261: *χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλός.*

Faesi vir doctissimus in priore editione Homerica genetivos ablativorum vice fungentes quaestioni ‚unde' respondere sensit: quam sententiam in recentioribus editionibus mirum in modum abjecit, cum Kruegeri sententiam probaret, qui genetivos esse partitivos contendit simili modo positos, ac genetivos, qui sequerentur verba significantia ‚participem fieri et frui'. Sed quam rationem inter verba luendi et fruendi intercedat, non assequor. Hentzius (philol. tom. XXVIII, pap. 515) quamquam β, 261 Faesianam interpretationem priorem probat, tamen reliquis locis ablativi causalis vel instrumentalis casus ratione genetivos accipi vult, ita ut voces *Ὠκεανὸς* et *ποταμὸς* pro personis habendae sint (‚vom Okeanos gebadet, vom Fluss sich baden lassen'). Equidem valde dubito, num apud unum idemque verbum luendi tale discrimen statui possit, ut in eadem locutione diversa structura accipiatur. Quam ob rem priorem interpretationem Faesianam comprobare ac tueri malim. Recte autem ita genetivos accipi monstrant exempla haec:

ζ, 224 exstant verba: *αὐτὰρ ὁ ἐκ ποτάμου χρόα νίζετο δῖος Ὀδυσσεύς* (quod exemplum a Faesio jam allatum video).
**κ**, 361: *ἐς ῥ' ἀσάμινθον ἕσασα λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο.*
Herod. III, 23: *ἀπὸ κρήνης λούεσθαι.*

Quibus exemplis comprobatur genetivum, qui verbum *λούειν* vei *λούεσϑαι* sequatur, nec localis casus vice fungi, nec partitive usurpatum esse, sed genetivum-ablativum esse, qui positus sit ad id denotandum, unde lavetur. Cf. quod nos dicimus: ‚sich aus dem Bach, Fluss, See waschen‘.

Summum autem ac certum argumentum genetivum localis vice fungi Delbrueckius sibi videtur invenisse in constructione genetivorum absolutorum. Locales enim casus absolutos, qui in sanscrita lingua occurrerent, in graeca lingua a genetivis absolutis exceptos esse in eosque transisse putat. Mirum mehercle mihi est, quod Delbrueckius genetivos absolutos ita accepit. Primum enim, ut Delbrueckius ipse l. l. pag. 43 dicit, locales absoluti in Rigvedae carminibus in sollemnibus tantum quibusdam locutionibus occurrunt numerusque eorum tam parvus est, ut inde constructionis genetivorum absolutorum in lingua graeca tam frequentis usitataeque originem ducere non licere videatur. Sed huic argumento tanta vis tribui non potest, quia in Rigveda ad locales absolutos usurpandos parum occasionis praebetur. Deinde autem jejuna et prorsus perversa esse mihi videtur ea interpretatio genetivorum absolutorum, qua Delbrueckius utitur, cum omnes relationes, quae genetivis absolutis subjaceant, ad temporalem revocet, unde ceterae relationes causales, condicionales, concessivae manaverint. Recte vero Classenus in observatt. de Homerico usu dicendi institutis judicat de genetivis absolutis, cum dicat: ‚In judicanda genetivi cum participio conjunctione proficiscendum esse a duabus rationibus, primum a cognitione naturae participii, quod nunquam expers sit proprietatis verbi i. e. facultatis mutuas res ac status denotandi, deinde a recta interpretatione genetivi‘. Profecto participium, cum verbalis naturae sit, eloquitur res, quae principalem actionem quasi comitantur eique subjunctae sunt; sed cum nominalem quoque naturam induerit, conjunctum cum nomine aliquo ad ceteram enuntiati structuram sese applicandi facultatem praebet. Quod ut efficeret, nullus alius casus magis accommodatus erat, nisi genetivus. Iis autem angustis cancellis, quibus Delbrueckius genetivum

circumdat in explananda structura genetivi absoluti, cum localis tantum casus vice in hac structura eum fungi contendat, non est circumscribendus. Immo vero accipiendus est genetivus toto ambitu, quem eo tempore habuit, cum carmina Homerica composita sunt. Genetivi enim absoluti constructio non e sanscrita vel indogermanica lingua originem ducit, sed graecae linguae propria est structura, quam et nascentem et crescentem in carminibus Homericis persequi possumus. Genetivi igitur in constructione absoluta occurrentis naturam ita percipiemus, ut tribus rationibus interpretemur modo genetivi puri, modo genetivi-ablativi, modo genetivi instrumentalis ratione. Genetivus vero, qui instrumentalis munera suscepit, cum res actionem primariam quasi comitantes denotaret, magnam mihi videtur praebuisse facultatem enuntiationem adjunctam, quae participio cum nomine aliquo conjuncto exprimitur, ad ceteram totius enuntiati structuram accommodandi. Genetivum autem, qui ablativi vice fungeretur, ad constructionem genetivorum absolutorum nihil valuisse, necio quo pacto Delbrueckius contendere potuerit. Hic ipse maxima ex parte ad initia totius structurae contulisse mihi videtur: quod ut appareat, inspicias velim, quae Classenus l. l. de origine constructionis genetivorum absolutorum accuratissime disputavit.

## CORRIGENDA.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Pag. | 9. | l. | 29 | lege | pro | „ae“: „ac“. |
| „ | 15. | „ | 35 | „ | „ | „stuctura“: „structura“. |
| „ | 17. | „ | 15 | „ | „ | „eandam“: „eandem“. |
| „ | — | „ | 19 | „ | „ | „sa“: „su“. |
| „ | 18. | „ | 22 | „ | „ | „ov“: „ου“. |
| „ | — | „ | 23 | „ | „ | „tactabo“: „tractabo“. |
| „ | 19. | „ | 10 | „ | „ | „ἀγορoεύσω“: „ἀγορεύσω“. |

# THESES.

## I.

Comparativa grammatica in scholarum quoque usum, quantum fieri potest, vocanda est, ita tamen, ut materia discendi non augeatur, sed nonnullae grammaticae partes illustrentur atque explanentur.

## II.

Homerus non fuit. Nominis vero Homeri origo ab Homeridis qui vocantur ducenda est, qui, cum ad colendam poësin consociatione conjuncti essent, artis et societatis auctorem finxerunt eumque ut ἥρωα ἐπώνυμον statuerunt.

## III.

Transitio, quam sanscrita vocalis ‚*a*' in graeca lingua in *ε* vel *ο* fecit, ad certam legem referri potest. In apertis enim syllabis ‚*a*' in *ε*, in clausis vero in *ο* abiit. Formae, quales sunt ἔφερες = sscr. ‚*abharas*'. ἐγώ = sscr. ‚*aham*', similes, videntur tantum excipiendae esse, neque vero excipiendae sunt.

## IV.

Empiricorum qui vocantur philosophia propterea probabilitate ac fide caret, quod secundum illorum rationem morales et divinae ideae nequeunt concipi.

## V.

Herodotus, cum lib. I cap. 60 rationem, qua Pisistratus reditum effecisset, narraret, fabulam eam esse putavit neque verbis suis historicam fidem vindicare voluit.

## VI.

Soph. Antig. v. 110 seq. legendum est:

*ὃς ἐφ' ἡμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκους*
*ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων*
*ὥρμησ' · ὁ μὲν οὖν ὀξέα κλάζων*
*αἰετὸς εἰς γᾶν ὣς ὑπερέπτα.*

## VII.

Aesch. Sept. v. 10 seq. duas tantum aetates poëtam alloqui accipiendum est. Verba autem ita legenda sunt:

*ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι*
*ἥβης ἀκμαίας, καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ*
*βλαστησμὸν ἀλδαίνοντα σώματος πολὺν*
*ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον ὡς τὸ συμπρεπές,*
*πόλει τ' ἀρήγειν* e. q. s.